



Fridericu Ernesto Filio
in sui memoriam offerunt.
Fridrichus Hoffmann.

Xe. 3B.

10.

Q. D. B. V.
DE
**MORBIS EX ALIIS
PRODEUNTIBUS,**

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO CAROLO,
BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, RELIQUA,

P R A E S I D E
FRIDERICO HOFFMANNO,
COLLEGII MEDICI h.t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU,

publice disputabit,
JOANN. WILHELM. STUTE,
Sulatenis - Guelphalus.

Ad diem Maij, MDCCXVI.
H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

MARIS EX ALIS
PRODUCITIBUS

DOMINO CAROLO

FREDERICO HONNINO

PRO DOCTORI GRADU

PRO HONORIBUS STETAT

ANNO MDCCXVII

ALICE

HANC CHRISTIANA MECENATI AGIT DILECTA



DISSERTATIO MEDICA SOLENNIS

DE
**MORBIS EX ALIIS
PRODEUNTIBUS.**

§. I.



Uicunque artis opus
dextre non minus quam prudenter
exercere, de morbis recte judicare
vel eos mature præcavere vult; is
maxime omnium causas, quæ mor-
bos inferunt, eorumque primor-
dia, occasiones & progressus, serio
magna cum cura inquirere debet, quia omnis mor-
borum medicatio & præservatio in universum ad remo-
vendas eorum, per multa & varia auxiliorum genera, cau-
cas directa est, adeo, ut is solum feliciterque ægris medea-
tur, qui harum rerum necessaria cognitione instrutus est,
quæ unice solidam & rationalem medicinam à vulgari
illa empirica & temeraria distinguit. Quantum vero
utilis & necessaria est hæc causarum morbificarum sci-
entia, quam pathologiam appellamus: tam parum ex-

A 2

qui-

quisite eam adhuc pertractatam expeditamque animadvertisimus, cum tamen vera pathologia salutaris artis medicæ præcipuum sit fulcrum atque fundamentum. Nobis igitur in superioribus dissertationibus serius & non perfunctoriis is fuit labor, ut in veras morborum causas inquireremus; quod institutum ipsa etiam hac tractatione prosequi studuimus, qua breviter, &c, ut speramus, solide demonstrabimus quomodo unus ex altero morbus prodeat, vel transeat in alterum. Faxit summum, quod devota mente, tamquam omnis veri bonique inexhaustum fontem veneramur, numen, ut, cuius causa laboramus, illud abundantissime consequamur.

§. II.

Primo autem loco non absre monendum esse arbitror, nos minime in symptomatibus, quæ morbis proxime adsunt vel superveniunt, explicandis vel eorum ratione inquirenda occupatos fore; sed hæc meditationis nostræ summa erit, ut agamus de eo, quomodo morbus, qui jamdum hominem deseruit, ad alium, ut plurimum deteriorem, corpus dispositum relinquere solet. Quid enim, teste experientia, optima veritatum parente, solennius est, quam ex uno morbo alium prodire, & priori cessante, denum novum & qui non raro perimat, succrescere? Quodsi enim medicus in consilium accitus paulo accuratius in primam morbi originem, prudenti examine instituto, inquirat, nunquam fere non illud observabit, præcedentem quandam morbum huic, ex quo jam laborat æger, causam atque occasionem subministrasse. Quid enim quæso aliud dicunt crebræ illæ decumbentium voces, quibus de origine mali fui quæsti

ita

ita respondent: ex quo illam febrim vel illum morbum passus fui, in hanc ægritudinem incidi & pessime me habui. Quum autem variæ sint caufæ, quare unus morbus ex altero prognatur: prima tamen & præcipua præticorum error & ignorantia videtur, qui sæpiissime motus morbosos, caulis eorum neglectis, infido artificio, sed pessimo eventu, præpostere medicina cohibent; aut morbi reliquias & noxios humores convenienti medicina sufficienter non educunt atque evacuant; aut denique diuturniori morbo imbecillum redditum ventriculum totumque corpus, neque salubri diæta, neque roborantibus remediis sublevant. Longe vero deterior res est, quando iidem ex morbo benigno malignum afficiunt, quod facile & sæpiissime fit, si imprudentissimo conatu noxiū, quod expelli debebat, ad interiora repellunt. Neque tamen semper in medico hæret culpa, sed sæpiissime novi propullant morbi origo ipsis ægrotis adscribenda est, quando saluberrima medicorum præcepta, de diæta post morbum recte instituenda, neglecti habent, minusque dicto obedientes, corpus admodum imbecillum multis ac variis minus congruis esculentis & potulentis infarciunt, aut cuivis aeri incaute obiiciunt. Unde autem fiat, ut ii, qui à morbo vix convaluerunt, tam subito in alios rursus incident, ratio in expedito est. Neque enim ullus morbus est, sive ex acutorum sive ex diuturnorum genere, qui non solidas & aque ac fluidas corporis partes vitiet atque lædat. Jam vero, lœndorum tono, labore ac vigore aperdito, nova facile stagnatio, stasis vel humorum corruptio emergit, nisi id accurata diæta vel medicina præcaveamus. Quare non inutilem ope-

A 3

ram

ram nos posituros esse existimamus, quando, per classes & varias causarum series eundo, morborum ex morbis progenerationem evolvere allaboraverimus. Initium vero faciemus ab iis affectibus, quos ingens universi corporis imbecillitas, ex morbo vel variis aliis causis profecta, ingenerat.

§. III.

Primo itaque quid frequentius usu venit, quam quod post graviores & s^epe tantum non incompescibilis fanguinis profusiones e. g. in abortu, puerperio, gravi vulneratione vel post nimias hæmorrhoides aut mensium immoderatum profluvium frigidi sic dicti morbi, ut cachexia, pedum oedemata, anasarca & aliae funestæ hydropis species subnascantur? Nam nimum exhausto vitæ fonte, sanguine, ventriculi & canalis, qui vitali machinæ alimentum conveniens præparat, actio atque digestio non modo minuitur, sed, quod magis est, robur, quo solidæ gaudent partes, & quo inutile ejicitur, utile vero bene permiscetur ac conservatur, admodum labefactatur, unde nihil aliud efficitur, quam ut ingens & cruditatum in primis viis & impurorum succorum in venis fiat proventus. Accedit, quod ob imbecilliores humorum circuitum, & exclusionem maleferiatorum humorum deficientem, hinc inde in partibus solidis atque meatibus stagnationes, obstructiones, stases, quæ & longarum & acutarum passionum fœcundæ genitrices sunt, ortum suum ac incrementum accipient. Quæ omnia & majora & deteriora fiunt, ubi animi perturbationes, quibus nec ultum

lum aliud nocumentorum genus vehementius debilitat, accedunt: vel quando vitium in diæta commissum aut facta fuerit magna corporis refrigeratio. Hisce medicorum imperitia si jungitur, quando adhuc infirmos validiori & crebriori evacuatione exagitant, eo facilius ad irreparabile morbus exitum perveniet.

§. IV.

Solet vero quam maxime a morbo graviter afflidente ingens ventriculo atque intestinis debilitas accedere, unde digestio perit, cruditatum fit cumulus, egestiones alvinæ non recte procedunt, & sic æstus præternaturalis, corpus ejusque vires lente consumens, succrescit, phlogosæ & anxieties adfunt, appetentia minuitur, omnia in perniciem prolabuntur. Finit hæc vitia plerumque a neglecta post morbum primarum viarum evacuatione, neque minus ab insatiabili ciborum aviditate & voracitate, qua ordinario ex morbo convalescentes laborant. Res vero magis periculi plena fit, quando medicus non cito vel tuto primas vias deplet, sed potius intempestive refrigerantibus æstui refrænando invigilat; quo modo perquam facile vel lenta & hectica febres vel colicæ convulsivæ, aut in hypochondrius molestissimæ passiones producuntur.

§. V.

Ex omnibus vero, quæ corpus debilitant, idque ad fulcipientes morbos præparant, nihil aptius est, præterquam puerperium, quod multas, varias, easque gra-

graves affectiones non raro post se trahit. Vidimus post puerperium spasticas hypochondriorum atque hystericas diurnas afflictiones, vidimus multas in melan-choliam, hemicraniam, abdominis perpetuam flatulen-tiam, tumorem, cachexiam, præcipitatas: quæ mala mirum quantum gravior animi perturbatio accelerat. Nam in universum tenere oportet terrorem aut vehe-mentem iram vix in ullis corporibus majorem trucu-lentiam, quam in infirmis & a morbo debilitatis ex-ercere: tanta enim horum affectuum vis est, ut intime in genus nervosum grassando, omnes in corpore vita-les motus pertainent, pejori certe quam ullum vene-num effectu. Præterea puerperis & aliis imbecilliori-bus, omne, quod nervis inimicum, quod vires destru-it, quod humores in motu sifflit, admodum infestum est, unde a frigido potu nec non improvida corporis refrigeratione, mala diaeta vel violento quodam phar-maco vehementer offenduntur. Neque vero tantum a morbo universi corporis debilitas, ad novas & alias denuo suscipiendas ægritudines aptissima emergit: sed sæpenumero a quibusdam morbis peculiaris & certæ partis cuiusdam imbecillitas, alium morbum invehens, remanet. Atque ut ordiamur a suprema corporis re-gione, capite videlicet, quid crebrius in praxi visitur, quam, quod a discussa forti apoplexia dextri vel finistri lateris paralys relinquitur, ubi brachium & pes, re-stitante quidem debiliori sensu, motu privantur, oris tortura & linguæ balbutie conjuncta. Neque modus, quo generatur tam grave malum, captu admodum dif-ficilis est. Quia enim in apoplexia meningum vasa a san-

sanguine, qui copiosius huc ruit, admodum expansa & distenta sunt, intercepto ejus libero itinere, efficitur, ut serosa pars secedens per meatus tenuissimos in partem posticam cerebri & spinalis medullæ principium, in duo latera divisum, descendat, unde fluidi, quod nervi vehunt, influxus deficit, hinc pristinam tensionem & vigorem, qui ad motum & sensum requiritur, membra subjacentia amittunt. Et quia a nimia serositate cerebri & medullæ oblongatae fibrae nimium flaccidæ redduntur, sublata tensione, quæ ad cunctaque generis sensationis, & ingenii animique vigorem, quam maxime necessaria est: hinc apoplecticum insultum ut plurimum stupiditas, ingens, memoria debilitas, somnolentia & ad actiones obeundas summa pigritia consequitur.

S. VI. Epilepsiam cerebrum ac nervos, præsertim opticos, mire debilitare, vel ex eo clarum atque perpetuum est, quod hanc ipsam in repentinam cæcitatem mutatam fuisse in *M. N. C. Dec. 1. An. III. obs. 16. it. Cent. 1. 4. n. Obs. 130. legamus*; in graviori enim epilepsia sanguis cum impetu, ob fortes spasticas in abdomine stricturnas, ad caput fertur, ubi stagnans serum deponit, quod cum in anteriora cerebri & nervorum opticorum thalamos defluit, eos obstruendo, guttam serenam producit. Ex eo jam facile intelligitur, quare a vehementi vomitu, per medicinam sulcitato, cacheoticæ in repentinam cæcitatem lapsi fuerint. hujus generis exempla *Hildanus Cent. V. obs. 19. it. Ep. 41. pag. 181.* refert. Et quia in-

B

paro-

-9008

paroxysmis epilepticorum nervi, qui oculis motum præstant, simul contorquentur, hinc oculorum situs interdum pervertitur, unde strabismus nascitur, qui ex paroxysmo epileptico in infante relictus fuit *Cl. Segero in misc. Nat. Curios. Dec. i. A. III. obs. 162.* id commemorante. Mania in melancholiam, sicuti contra melancolie in maniam transitum facilem fieri per cerebra experientia convincit, quandoquidem in utroque affectu cerebri vasa viscidi sanguinis copia infarcta sunt, cuius in melancolia tardior & difficilior, certissimus vero in delirio & mania est progressus, propter maximam stricturam meningum, sanguinis citiorem cursum efficientem: quemadmodum vero fortiorum spasmodum semper fere ejusdem partis atonia & languor flaccidus excipit: ita etiam cessante, quæ in paroxysmo maniaco visitur, nimia strictura membranarum & vasorum cerebri, horum relaxatio & debilitas sequitur, qua postea sanguinis difficilior per has partes fit progressio; ex qua melancholicorum phantasma incunabula sua trahunt.

§. VII. Ex febre acuta, caput & nervos occupante, cuius generis solet esse sic dicta Hungarica, quam delirium vel stupor quidam aut acerbissima cephalagia comitatur, saepenumero surditas vel minimum difficultas auditus sequitur, quæ totam quandoque vitam perdurat. Evidem non malum alias indicium est, sed salutaris criseos notam medici habent, si quando circa tempora critica hebetudo auditus in acutis febribus

acce-

accedit; neque sine ratione. Nam si crisis perfecta est, stricatura solidorum, quæ toto febris impetu durat, sece remittit, quo facto pulsus celeritas & durities minuitur, excretio per urinam, alvum & cutim restituitur, meatibus magis factis apertis, qui jam non tenuem serositatem, sed crassiores etiam feculentias dimitunt: hinc in febribus acutis, capiti infestis, remittente meningum spasmo, fibrarum fit relaxatio, unde sanguis tardius progrediens, serositatem deponit, quæ, ad principium nervorum acusticorum descendens, auditum difficilem procreat, quæ neglecta in incurabiliem & perpetuam surditatem transit. Nam quando caput tum improvide frigori exponitur, vel medici discussioni humoris stagnantis in capite per cephalica & sudorifera convenientia minus invigilant, partum cerebri, que ad auditus organum pertinent, a subsistente humore fit pextinax obstructio vel plenaria corruptio.

§. VIII.

A capite, ceu supra corporis regione, ad medianam, nempe thoracem, progressum facturi, deprehendimus multos esse pectoris morbos, qui magnam imbecillitatem vastissimo pulmonum visceri inferendo, illud ad varios affectus disponunt. Nihil enim frequentius in praxi observatur, quam quod haemoptysin, presertim male curatam, prepresso pede phthisis infrequatur, idque eo magis, quando nimis celeriter exundans sanguis adstringentibus vel narcoticis vi quasi compescitur. Quam graviter hoc nomine in omnibus fere nimiis haemorrhagiis, cum eas celeriter adstrin-

B 2

gen,

gentibus reprimere conantur medici, delinquent, tristissimis & funestis compluribus exemplis, non semel, sed saepius ac iterum, perspectum habemus. Hi enim miseri homines veras enormium hæmorrhagiarum causas ignorant, quæ non aliæ, quam fortes stricturæ vasorum spastica in abdomen vel remotis partibus sunt, quibus liber sanguinis circuitus intercipitur, ita ut is, coarctatis alibi meatibus, in alias partes cum impetu ruat atque urgeatur. Quando vero ad pulmonum vasa fertur, haec nimium distenta tandem disrumpuntur, quo ingens sanguinis in asperam arteriam sit effusio. Quodsi igitur, nulla habita spasmorum vel inæqualis circuitus ratione, præpropere dantur adstringentia, sanguis tenuis ac fluidus crassescit, inque coagulum abit, & effluere nescius, vel in putredinem abit, vel ejus serofitas tubercula ingenerat, unde ulcera fiunt & ita phthiseos est origo, nam quando ob humoris acrimoniam, vel ob eorum copiam distendentem, vesiculae pulmonales minutissimæ perrumpuntur, ex pluribus una, vel plures amplæ cavitates resultant, extrema vero vasorum capillamenta exesa magis patula reduntur, quibus efficitur, ut multum succi chylosi in cavernulas influat, quod, ob vasa capillaria & lymphatica non amplius cohærentia, minus resorbetur, sed stagnans lentorem contrahit, inspissatur, turbidum globosumque evadere & foetere, si longior ejus mora fuerit, incipit. Atque hunc in modum ex hæmoptysi phthisica pulmonum per facile fit exulceratio.

§. IX.

§. IX.

Pleuritidem in abscessum vel empyema transire, non modo ab Hippocrate passim in ejus monumentis memoriae proditum est: sed & multa experientia, cui ratio suffragatur, amplius id confirmat. Agunt de hoc Aph. VIII. S. V. qui ita se habet, quicunque pleuriticæ expectorabilem materiam intra quatuordecim dies non excludunt, ius in empyema degenerat. Et Aph. XV. ejusdem libri ita scribit: quicunque à pleurite empyi, hoc est, purulenti redduntur, si liberantur, quando finem expectorandi intra quadraginta denum dies faciunt, intra quod tempus rupta est pleuritidis vomica liberantur: si minus in phthisin degenerat. Hi duo notatu perquā digni aphorismi nos docent pleuritidem in empyema degenerare, si purulenta non intra quatuordecim dies excluditur materia, & quando hæc in empyemate non desinit intra quadraginta dies fluere, phthisin fieri, quod edictum etiam experientia confirmat nec ratio inventu difficilis est. Nam in pleurite, non sequens ac in peripneumonia, ipsa pulmonis substantia, non vero, quæ costas succingit, membrana, inflammatorio & dolorifico, ex sanguinis stasi, tumore est adfecta, quæ admodum id uberior in dissertatione nostra de pleurite & peripneumonia ostendimus. Hæc itaque inflammatoria stasis, si plane discutitur, perfecte sanatur morbus, at si discuti renuit, in purulentam abit materiam, quæ expectoranda est. Quodsi vero intra quatuordecim di-
erum intervallum nec febris decedit, nec puris excretionibus sequitur, tunc materia inhærens vomicam formare animadvertisit. Hippocrates vero, ut recte monet Galenus, quamlibet in pus mutationem vocat empyema, quod

quod etiam vocat, quando, rupta vomica, inter thoracem & pulmonem pus effunditur. Utrumque igitur accidit, quando pleuritici per expectorationem non expurgantur. Quandocunque vero, vomica rupta, expectatio intra quadraginta dies non cessat, phthisis praeforibus est, certum enim tunc indicium, vomicam ulterius proserpere & acre pus totam pulmonum substantiam in exulcerationem abripere, unde tabes & phthisis. Memorabile hac de re olim, cum Mindæ Westphalorum egimus in praxi habuimus exemplum, ubi post pleuritidem tussis, macies, febris, inquietus & spirandi angustia ad duos menses permansit, tandem inexpectato, ad aliquot libras, pus album, conglobatum, sed minimè foetens rejectum fuit, quæ ejectio ad tres minimum septimanas perduravit, tandem vero balsami pectoralis & lactis usu cessavit ac integræger fuit restitutus. Neque minus memoratu dignus est ille casus, quem peculiari *diss. de rarissimo succi nutritii ex thorace stillicio*, ubi pleuritis tandem in empyema, sinistrum totum pulmonis lobum, consumens, quod sectio detexit, degeneravit, erosio simul & apertis ramulis ductus thoricici, quia succus chylous, dulcis, lacteus per multos annos ad aliquot uncias singulis diebus ex thoraci aperitura, quæ, ad empyematis exclusionem, acu facta fuerat, extillavit.

§. X.
Notabile vero, est quod pleuritis multo facilius in empyema cedat, quam peripneumonia, quia, recte monente Celio Aurelianico pag. 420, peripneumonia est tumor in toto pulmonum corpore, pleuritis vero tantummodo in

in ejus parte, vel potius, pleuritis est inflammatio magis superficialis, peripnevmonia vero altior & profundior: in hac sanguis magis serofus, in illa, crux crassus stagnat. Dein pleuritidi magis juvenes, succi & sanguinis pleni, & spongiosæ habitudinis, obnoxii sunt, in peripnevmionam vero magis melancholici, melancholico-sanguinei, senes & qui ampla & crasso sanguine turgida vasa habent, incident. Sicuti vero sanguinis chylosi & gelatinosi facilis est in purulentam materiam transitus: ita crux crassus difficilis in pus mutatur, sed magis in corruptionem vel sphacelum abit, aut vasa obturat, quare peripnevmonia est valde acutus morbus, qui nisi intra paucos dies discutitur, funesta sphacelatione vel suffocatione perimit.

§. XI.

Quod vero tam male & sinistre pleuritidis curatio saepius succedat, in culpa saepissime est imprudens practicorum methodus, qui in sanguine detrahendo vel nimis parci sunt, vel interdum nimis liberales & effusi: utrumque malum & pleuritidis felicem sanationem interturbat. Rectissime enim Cl. Helvetiorum medicus *Verzafcha Obs.* confirmat, ex neglecta venæ sectione empyema facilissime subsequi, præsertim in spongiosi habitus corporibus. Et Cl. Heurnius in *Comment. super aphor. VIII. Lib. V.* in hujus confirmationem sequentem ad fert historiam: *Vidi, inquit, juvenem trigesima annorum succi sanguinisque plenum, qui, cum ruri esset, humi dormivit ac in pleuritidem incidit: tarde huic à Medicis parumque sanguinis detracatum fuit, dolor perseverabat, decimo quarto in empyema versum fuit malum, deinde expuratum, tandem cum foeda multa expectorasset ac extabuisset, obiit.*

Idem

Idem evenit & empyema nascitur, ubi nimium sanguinis, per iteratas venæ sectiones detrahitur, quia hæ aliquoties repetita expectorationem suppressimunt, unde bene Ballonius Lib. II. epid. pag. 226. scribit: *revera graviter ab iis peccatur, qui in pleuride naturam multo, distractio sanguine exinanunt.* Et hæc quoque dubio procul causa fuit, quare in juvene viginti annorum, in quo decies phlebotomia celebrata pleuritis in empyema (vid. Riverii Cent. I. obf. 79.) degeneravit.

§. XII.

Porro ingens humorum decubitus ad pectus, in iis præsertim qui pituita abundant & mali habitus sunt, diuturnam humidam tusim cum spirandi angustia suscitat, qua demum ita læditur pulmonum substantia, ut copiosissima materiae purulentæ & chyloſæ fiat rejectio, quam extrema corporis macies ac languor sequitur. Tono namque vascularum & membranarum pulmonalium destruncto, humores ibi cum sanguine congesti haerent & acriores reddit, distendendo & erodendo, ingentes cavitates efformant, ad quas perpetuus succorum est affluxus, stagnatio & extravasatio. Quam vero difficile sit hunc motum humorum a pectori ad alia loca derivare & cavernas ad consolidationem perducere, pulmonum tonum deperditum restituere, ii norunt, qui in artis operibus cum solertia versantur. Non vero solum medici imprudenti medela, sed ipsi quoque ægrotantes, perverso vi etiis regimine, se penumero non parum contribuunt, ut humida diuturna tusis tandem in phthisin terminetur. Pessimus enim practicorum mos est, in tussi, cuiuscunque etiam originis vel generis fuerit, dulcia, insipida, crassa

erassantia, emollientia in magna copia præbere, quibus cum pulmonum, tum ventriculi e intesinorum robur amissum plus adhuc labefactatur, cui potius, convenienti stomachica & balsamica medicina, erigendo & superfluis humoribus evacuandis, in curatione unice intenti esse debebant.

Ex spirandi angustia atque difficultate, quæ orthopnoæ vel asthmatis nomine significatur, tumores cedematosos & hydropses, tam thoracis quam abdominis, prognigi, in praxi sæpe sæpius animadvertisit. Et quo magis asthma urget, ut est spastodicum & convulsivum, et facilior funestum thoracis hydropem, vel etiam ipsum ascitem product, sicut contra lentum & diuturnum asthma paulatim cachexiam & cedemata pedum post se trahit. Quemadmodum vero horum affectuum generatio procedat, explicati non adeo arduum est, quandoquidem vel ob spasticam vasorum pulmonalium angustiam, vel ob meatuum non infrequentem à polypo obstructionem, sanguis ex uno cordis ventriculo ad alterum ægerrime per pulmones traducitur, sed ad cavitatem dextram & hinc ad universum venarum genus, propter obicem positum, regurgitat. Et quia tardissima hinc fit sanguinis ex venis in arterias transfusio, hinc serosi humores quam facile in venis repletis secedunt inque porosam substantiam ingrediuntur. Longe vero celerior hæc seri à sangvine decessio tam in pericardium, quam in thoracis cavum peragitur, ubi vel polypo vasa pulmonalia infarcta sunt vel convulsivum, longiori temporis spatio adstringens asthma, liberum sanguinis iter per

C

pul-

pulinones intercipit, tunc enim seri per meatus patulos
in cavitates expressio surgetur ac promovetur.

C. XIV. *de delomibus ac quendam*

Nunc à media regione ad infirmam veniendum est,
ubi eos morbos, qui ex visceribus abdominis, à præce-
denti morbo debilitatis, prodeunt, spectabimus. Ex iis
vero, qui in ventriculo ac intestinis sedem suam atque
domicilium habent, sicutiamque illic exercent, vix ullus
frequentior est, quam spastico flatulentus, multis & variis
pathematibus conspicuus, quem nostro ævo mali hy-
pochondriaci, vel hysterici, si feminæ adfligantur, nomi-
ne salutare solent. Nam quando univerlus à faucibus
usque in anum desinens nérveo-membranaceus exqui-
ritissimæ sensationis canalis, à morbo præcedente læ-
sus fuerit, adeo ut ejus tonus ac motus peristalticus de-
structus vel crusta villosa, quæ colatorii vice fungitur,
obstructa aut glandulae, quæ solventem & fermentalem
succum præbent, obstructæ fuerint, atque harum,
partium optima veluti medicina est, intemperata evadit:
nihil aliud efficitur, quam ut abolita digestione & fecum
debita expulsione multi humores crudi, viscidi, corrosivi
ibi consistentes, nervosas partes exagitando, spasmos,
convulsiones & flatulentias proferant. Quæ cuncta ob-
consensum generis nervosi anxietates, dolores,
inquietudines, maximisque molestias in capite, thorace,
abdomine procreant. Jam vero diligent & attenta ob-
servatione practica constat, hypochondriacum hunc
morbum non frequentius ingenerari, quam ab intermit-
tentibus, præsertim tertianis, male curatis; nam si ante
correctionem vel evacuationem materiae, quæ febrilis

com-

commotionis causa est, paroxysmi variis artificiis constrictoriis nimis propere reprimuntur, ea intus remanet, & ex mora deterior facta alias periculosiores stricuras, cum offensione ventriculi & intestinorum, efficit, idque eo magis, si diæta vitium aut intemperantia affectuum, quibus in passionibus spasmodicis concitandis nihil potentius est, accedit. Intermittentes enim febres cum somitem & minerali suam in ventriculi ac intestinorum valvulis ac plicis habeant, in sensibilissimo hoc canali suam potentiam, quæ vix ullis aliis quam spasticis tensionibus absolvitur, exserunt, quod in superiori *de febribus generatione dissertatione* satis solide ac copiose ostensum est. Quapropter pessimæ illi artifices serio & sedulo monendi sunt, ut ne imprudenter sistendo febres irreparabilem sanitatis decrementum ægrotantibus adferant, quod cum ingenti dolore & angore quotidianis fere exemplis conspicimus.

§. XV.

Similioratione diarrhoeæ & dysenteriae neglectæ, vel perperam tractatae, immedicabilem sepe in intestinis laxationem relinquent, quæ identidem in spasticis hypochondriacorum æmulis pathematiibus consistit. Nam quid frequentius est, quam quod ab intempestivo adstringentium in hisce morbis usu, vel vita periclitetur, vel diuturnus fere insanabilis spasmus remaneat morbus, qui mala diæta & inordinatus animi affectibus multo pertinacior fit & ingravescit. Laborabat ante annum honestissima foemina post male tractatam dysenteriam sat acerbe & graviter variis symptomatibus, cuius generis fuerunt inappetentia, nicties, phlogosæ, atroces dor-

si lumborum & abdominis rosiones, ingentes anxierates, alvi segnities; mox etiam interdum copiosissima dejectio, quæ mala ultra sex menses eam cruciabant; tandem divina adspirante gratia, antispasmodicis, roborantibus & leniter evacuantibus à me curata, perfecta sanitate jam fruitur.

§. XVII. Deinceps ex intermittentibus diutunior quartana plerumque infimi ventris viscera, ut hepatis, sienem & pancreas, adeo lacerare solet, ut funestus hydrops subseatur, quidem hæ febres altius ut plurimum radicem suam in viscerum tono destrucit, eorumque à sangvine crasso infarctu, positani habent, unde etiam magnam prudentiam, & sufficiens quoque tempus ad sanandum, desiderant. Nisi enim obstructio illa viscerum expediatur & sanguini ac humoribus per vasa abdominis venosa liber circulus restituatur, supervacanea vel noxia omnis febrilem impetum sistens medicina est. Tum enim nihil est inconsutius quam posthabita sanguinis missione, vel viscerum obstructorum apertione, aut alvi ductione, specificis sic dictis, ex quorum numero sunt cortex chinal, fraxini, radix tormentilla, plantaginis, alumen & vitriolacea, motus febriles reprimere. Hæc enim coagulando humores, infarctum & indurationem viscerum adauagent, quo sit, ut ibi, intercepto sanguinis cursu, serum in vasa lymphatica magna copia secedat, unde in hydatides abeunt, quæ postea disruptæ, serum in abdominis cavum funesto effectu effundunt. Quem generationis hydropis modum jam olim Galenus in Cap. VII. aph. 55. & Lib. IV. aph. ii. optime tradidit, dum inquit, si aliquando

con-

contingit, hydatides, sive vesicas hepatis aqua plena disrumpi, effunditur aqua ad locum membranae abdominis interioris epigastrio respondentem, in quo etiam hydropicorum aqua congregatur. Idem gravissimus auctor Lib. III. in loc. affect. Cap. III. de hydrope, quartanis male curatis succedente, conqueritur, cum ait: quartanæ male curatæ hydrope accedere crebro vidimus, presertim si exrotus in vicu aberraverit & intempestivo frigido potu caloris levamen questiverit, quo humores incrassantur, obstrunctiones & scirrum in hepatæ ac liene pariunt & tum præcipue, si dejecti in paroxysmo particulari, caloris putridi exhalationem externo quæsto frigore cohibuerint: qui impulsus utrumque hypochondriorum viscus adurit & indurat. vid. Job. Langut Epist. 48. pag. 175. & Epist. 39. pag. 142. ubi hunc in modum differit: nisi in febris putridi humoris copiam ademeris, tum non modo tantam crudum humoris copiam calor naturalis concoquere non poserit, sed præcipue in statu & morbi declinatione resoluta per calorem febrilem & sudorem subili humorum substantia, faculcentior pars (Germ. der Fieber-Rüche) derelicta, fungosam ac raram epatis ac lienis substantiam ita infarciet & obstruet, ut tandem, utroque viscere, vel altero scirrhis obfesso & indurato, hydrope aut crurum œdema febrem excipiat. Quod tum maxime accidet, si alterantibus frigidis, citra evacuationem lenitivam aut evacuativam, usus fuerit, que materiam plus ingrossant, quam resolvunt. Quare, ne in febris interposita nimis diu frigidæ potu utaris, diligenter cæveto.

§. XVII.

Præterea renes à præcedente morbo debilitati, tono eorum destructo, non modo facile inflammantur, exulcerantur, sed & ad calculorum generationem proni

C 3

ac

ac dispositi evadunt. Evenit id maxime in plethorics, vel quibus redundans sanguis per uterum aut ani venas non expurgatur, vel expurgari defvicit, hinc ipse, circa renum vas in lumbis stagnans, gravativum ibi dolorem aestumque efficit, quem dolorem, si imprudenter medici calculo adscribant, calidiora, quae urinam movent & calculos pellunt, propinent, gravia dicta renum vitia pleno alveo emergunt. Nam renalium glandularum & vasculo-rum tono, ob nimiam distensionem, destruncto, tardius procedit urinalis laticis secretio & descensio ad vesicam, quare in syphunculis urinariis si stagnat, tartarum, qui calculi est materia, quam lubenter deponit. Deterior vero res est, si inflammatio, & ex hac apostema, aut ulcus generetur. Rectissime vero hi renum morbi præservantur matura sanguinis missione, quam etiam *Riverius Cent II. Obs. 15.* item *Grülingius in praxi Tr. de calculo pag. 16.* ad hunc scopum obtinendum magni faciunt. Et hæc quoque est ratio, quare hæmorrhoides supervenientes nephriticis, cœu salutiferum remedium, sumimopere *Hippocrates aph. n.* *Lib. VI.* dilaudat: quapropter naturæ hoc consilium in avertendis his morbis medici salutariter imitari debent & vel hæmorrhoides fluentes efficere, vel pedum venas aperire.

§. XVIII.

At si calculus diutius & firmius principio urethæris impactus hæret, nec ex sede haec dimovetur: nervosas has partes perpetuo vellicando ingentem in ventriculo nauream & ad vomitionem suscitat irritationem, adeo, ut si quando nec natura, nec ulla arte peregrinus hic hospes

cedere velit, perpetua ventriculi subversio cum anxiate
te, inappetentia, macie & tandem mors subsequatur,
quale miserum & triste exemplum non ita pridem in pre-
claro hujus urbis medico conspeximus. Nam magnum
& arctius est cum renibus & ventriculo confortium, hinc
Langius in Epist. 45. pag. 168. scribit: *plures calculo renali af-
fectos plusquam annuo ciborum fafido tabescere vidi nec un-
quam esuriisse, in quorun cura aliis medici ventriculi imbe-
cillitatem, aliis venarum mesenterii & hepatis vel splenis ob-
structiones incusarunt; spasmus enim a calculo fuscitatus
usque ad totum ventriculum, & saepe etiam ad duode-
num, pertingit, qui, molesta constrictione ejus peristalti-
cum motum validissime invertit, unde patet etiam ratio,
quare calculosi facile fiant iaterici. Neque praetereun-
dum est, quod crebra ex calculo adflictio ita ventriculi
atque intestinorum tonum ac robur imminguere ac labefac-
tare possit, ut colica tormenta & flatulentiae calculi ob-
noxios levi data occasione vel causa graviter exerceant.*

§. XIX.

Ex renali calculo, si quando in vesicam prolapsus
ob magnitudinem non foras eiicitur, continua tartari
urinalis accretione calculum vesicalem generari extra
dubitacionem est. Igitur periti est medici, calculi qui
ex renibus in vesicam descendit, comminuere & exclu-
sionem per urethram omni modo promovere, cui sco-
po obtinendo diuretica utique proficiunt.

§. XX.

Ex utero quoque male antea affecto plures prodire
novos morbos ac vitia longa experientia ac usu comper-
tum perspectumque est. Observamus id maxime post
ab-

abortum vel partum, quem varia mala, quibus virgines non obnoxiae sunt, insequi solent. Quid enim frequentius visitur, quam post puerperium vel abortum nimia sanguinis vel seri viscidi albi fieri profluvia, & abortus nulla etiam comparente causa, de novo facile contingere, unde in mentem mihi subit aurea illa nunquam satis laudandi senis Lib. V. aph. 45. sententia: *quocunque corpore bene constituto, bimestres atque etiam trimestres abortunt, nulla incidente abortionis causa, his sane cotyledones, i. e. venarum ac arteriarum orificia plena mucoris sunt & non possunt expandere fetus, sed disrumpuntur.* Causa tam frequentis mali absque ulla externa occasione nulla alia est, quam intermissa sanguinis detracatio vel alvi ductio neglecta. Hinc ante ingravidationem, vel etiam commodis mensibus, purgatio ex lenioribus, quæ veteres ob eximium usum benedicta vocarunt, vel temperate aloëticis balsamicis pillulis instituatur. *Matrona, inquit, Heurnius in Comment. ad hunc aphorism. quedam sepius abortierat & pituita natura erat, cum vero medicinarum (puta) laxantium usum iniit, feliciter gestationem perfecit.* Suadeo igitur cum Platero in Obs. Lib. I. pag. 86. ut puerperæ post partum bene purgentur, ne graves sint morbi. Neque tantum purgandum est, sed etiam convenienti diæta vitæque regimine & aliis internis & externis roborantibus pristinus utero tonus reparandus est: quo salvo ac vigente & mensum fluxus recte & ordine procedit: quo destructo, inordinati fiunt menses, & inde universa corporis œconomia detrimentum patitur.

§. XXI.

Ad partes, quod attinet, genitales & haæ facile vitium
CON-

contrahunt ab antecedente morbo, quod ad nova mala suscitanda idoneum est. Animadvertisimus id frequenter in gonorrhœa, cui, sive maligna sive benigna, si nimis cito adstringentibus cohibetur, multa ac varia mala superveniunt. Ex intempestivo enim constringentium usus glandulae, quæ prostatæ adpellantur & genuinam gonorrhœæ fedem constituant, facile indurantur & in diuturnum ulcus abeunt, ex quo, cum continua fetida sanies profluat, insanabile quoddam laticis ex urethra sit profluvium. Et quia hæc subtilis acredinis materia contermimas partos vesicæ, neimpe sphincterem, afficit, unde successiva ejus sit erosio, quæ ægre consolidatur: perpetuum fere ischuria & dolorificam stranguriam causatur.

§. XXII. Neque postremo loco prætermittendum est, quod dolores, si atrociores fuerint & diu perseveraverint, universum nervorum genus adeo debilitent & à tono suo partes sensui & motui dicatas dejiciant, ut paralyticci vel alii nervorum affectus, etiam epilepsia inde propullulent, cuius rei clarissimum documentum edit gravis intestinorum dolor, qui colica communiter vocatur, cui non raro paralyticis succedit, quemadmodum id per experientiam fatis constat & multi auctores observationibus id confirmant. Egregius vero hanc in rem extat locus in *Paulo Aegineta Lib. III. pag. 251.* *Colica affectio pestiferæ cuiusdam* luis modo est graffata, ex qua plerique in morbum comitialem, alijs in artuum resolutionem, senju incolumi, nonnulli in utrumque sum prolapsi ac eorum, qui in comitialem morbum incidentur, plures interiere, ex iis vero, qui in resolutionem, plures evaserunt. Epilepsiae sunt, quando ob vehementem

D

in-

intestinorum spasmodi & vasorum constrictione sanguis urgetur ad caput & spasmus quoque ad meninges penetrat, hinc *Thunnerus Cent. II. Obs. 3.* identidem post colicam notavit epilepsiam & quod omnia duplicata conspecta fuerint, humore crystallino quasi è sede sua dimoto. Paralysis vero gravem coli dolorem sequitur, quia ordinario post nimiam partium spasticam constructionem, postea atonia & debilitas sequi solet, ad quam promovendam multum valent opiate, quae ad infringendos dolores, larga & repetita sièpius dosi, practici propinare confuscent, qua de causa periti medici horum usum serio & sedulo dissuadent, hinc *Baglivus in praxi Med. Lib. I. §. 1. de colica* apposite ita scribit: nihil familiarius colicæ supervenit, quam paralysis, eave igitur ne opiate copiosius in ea exhibeas, solet enim post opiate magnus sudor supervenire & exinde paralysis. Hanc ob causam quoque *Cl. Raygerus Obs. 30.* in crudeli intestinorum dolore pillulas Wildegangii rejicit, quia facile in sordido fumador & patesis succedit. Colicis vero & calculosis, vel etiam tertianis, quod facile icteri superveniant, ratio est, quia spasmus, in his morbis ad duodenum & vasa cholangio-pertingens, ea valide constringit, ut bilis liber ad intestina descensus amplius fieri nequeat.

§. XXII. Vidimus haec ter morborum aliis supervenientium primordia atque origines, quæ potissimum destructo partium, quibus insident morbi, tono debentur. Jam vero nobis propositum est breviter strictimque ea considerare vitia, quæ ex morborum reliquis proveniunt. Primum vero placet hanc in rem diuinum nostrum senem

audire, qui aphor. 32. S. IV. hunc in modum scribit: quibus à morbo restitutis quidpiam est infirmum, ibi abscessus sunt. Quem aphorismum Cl. Heurnius optime sic explicat: quando post morbum infirmitatis aliquid supereft, que ex lasitudine & imperfecta crife judicatur, ita, ut supersint materie febrilis reliquæ, aut, si liberalius se potu & cibo invitent, quam immunita venitricali actio, temperamentum & habitus perferre possunt: tunc in discrimen venit homo, quia partes internæ & externæ labeſſatæ sunt, hinc, ſi non accurata diæta accesserit, hepatis & lienis ſcirri vel cephalæ vel foras in artus, ſi ibi imbecillitas, abſeffus effunduntur. Quare, ne quid coaceretur, dentur pillulae aloēphanginae, maſtichinae vel Ruci vel tale quid. Spectat huic quoque Aph. XII. Sect. II. morborum reliquæ, que a crifi ſuperſunt, reciduos morbos parere conſerveſunt. Fit hoc maxime, quando ob fractam naturæ virtutem, ſicut rursus bene id explicat Heurnius, materia morbiſca non tota fuerit excluſa, neque in declinatione alvus purgante ſollicitata. Note vero reliquarum morbi ſunt oris ſiccitas, inappetentia, agrypnia, langor, quare recte concludit idem auctor: plerumque jubemus, ne ſiant recidivæ, ut quinto vel ſexto die, cum jam convalescunt, auſſunant tres vel quatuor pillulas de hiera cum agarico vel maſtichinas vel ſyrupum laxativum aut pillulas Ruci vel aliquid rhabarbari aut paſſularum purgantium. Profecto cedro digna ſunt hæc faluberrima monita, quæ nos docent, ut quiescente nunc morbo, omne, quod adhuc noxiū & morbiſcum eſt, ſive in ventriculo ſive in venis ſubtiliterit, excludatur & corpus ab omni perniciali & excrementitio ſucco liberetur, eo, quod hic facile pabulum ac fomentum recidivæ vel novum morbum ſubministra-
re poſſit.

D 2

§. XXIII.

§. XXIV.

At vero in hoc & graviter & communiter medici peccant, quod in fine morbi, & ægris convalecentibus, ac morboſo ſpazio remittente, morbi noxias reliquias neque evacuantibus neque ſudoriferis educant, neque robori naturæ atque ventriculi per congruam diætam & proba ſtomaſhica debite ſuccurrant. Nam, quo langvidius medentis auxilium eft in impetu & ſtatu morbi, eo certius & potentius in ejus principio atque in declinatione, & quidem ineunte morbo, ut, natura adhuc valente, obſtacula removeat & materiam, quaे in vitio eft, imminuat; tum declinatione vero ejus opera necessaria eft, ut corpus debilitatum rurſus conſirmet, vires fractas erigat, quod reſtat adhuc noxiū expellat & hac ratione novi morbi, plerumque deterioris, generationem impeditat.

§. XXV.

Si vero ullo in morbo, certe in variolis & morbillis, reliquiae morborum, ut expellantur, neceſſarium eft, quod ſi non accidit, gravissima ſymptomata & morbos relinquent. Nam quemadmodum in diectis morbis lympha universi corporis, veluti fermento quodam maligno, inquinata, corrupta & corroſiva redditur, ita multo magis id accidit, ſi, diſſipata per antecedentem æſtum ſulphurea & balsamica ſangvinis portione, fermenti reliquiae fuerint quaे tam acrem ac corroſivam reddere poſſunt lympham, ut, non modo in externis, etiam oſteis partibus, ſed & in viſceribus, praesertim pulmonibus, ingentes eroſiones, exulcerationes vel etiam apostemata fiant, qua de re paſim obvii libri medici conſuli poſſunt. Et, ut paucos tantum in medium adducaſſamus, *Hildanus Cent. VI, Obſ. 82.* poſt va-

rio-

riolas non exakte curatas cornea erosionem, tubercula & apostemata circa juncturas, item catarrios suffocativos & aphoniā notavit. Evenit hoc maximē, quando nimis cito incautius frigoris exponunt, ut bene notavit Cl. Albrecht in Msc. Nat. Curios. Dec. iii. A. iii. Obs. 126. videlicet inde quidam, post variolas, indolentibus tumorigibus, qui possea in abscessus fistulosos ipsi ossium compagi haud parcentes, mutati sunt, in tibiis & brachiis affetti sunt & scitè addit: *hoc fateri cogor, vix iis, qui reliqui as morbi purgantibus, praesertim mercurialibus, sedulo everrebat, vel earum virus alii idoneis praesidiis destruebant, tale quid obtigisse.* Ceterum quanta eori osio lymphæ, post variolarum morbum non bene curatum, sit, variae observationes docent, de quibus Dec. iii. A. IV. Obs. i. consule: vidi, scribit Cl. Franckius, qui per variolas in tussim ferinam, in tabem, hebicam & phthisin incideram, vidi qui in ophthalmias, cæcitatem, varia ulcera, scabiem malignam & abscessus inciderunt. In filio Bregensi, post variolas, paediatrica in manib; pedibus & spina dorſi ac tandem mors. Et horrenda ulcera post variolas emergentia Tulpis Cap. 52. & 54. quam optime describit. Ulcera mala, pus acerrimum fundentia, notata quoque sunt a Collectoribus auctorum Uratisslav. anno 1708. p. 6. Sunt verò variolæ & morbilli admodum inimici pulmonibus & facile ibi oppressionem vel suffocationem relinquunt aut catarrham suffocativum faciunt, dubio procul si materia ad nerveas pulmonum membranas expellatur. Phthisica quoque ulcera, post variolas relicta, & nos in praxi annotavimus & tristissimo exemplo & casu Serenissimus Saxonie Princeps, ante aliquot annos hic placide defunctus, id confirmat, ubi in thorace aperto integer pulmonis

lobus, vasorum ramificationibus relictis, totus corruptus & consumitus, foetidissimo & copiosissimo pure in thoracis cavitatem effuso, visus fuit. Ut itaque evitemus omnia dampna, quæ post variolarum decursum incidere possunt, opus est, ut non modo blandis evacuantibus, sed & dia-phoreticis & infusionis sanguinem depurantibus, per notabile adhuc tempus infistamus. Reste enim & perite Cl. Helvetiorum medicus Derebecque obs. 104. scribit: *Quotquot, variolis siccari, purgati non fuerunt infantes, in graves morbos inciderunt, in hydrozem, scabiem, phthisim, cæcitatem, ossium cariem & alios innumeros.* In virgine nobili, quæ sine evacuatione, nimis cito corpus frigido aëri exposuit, omnium partium contracturam, eamque insanabilem, conspeximus. Ad morbillos quod attinet, ut in infantibus subinde suffocatum catarrhum relinquunt: ita variolis etiam & morbillis lympha peccans acrior nervis pnevmonicis maxime molesta est, teste tussi, quæ perpetuus fere horum morborum comes est. Quare relinquitur in hoc viscere, fracto morbi impetu, declinatione, magna atonia, ob quam co-acervati viscidii humores ibi congesti, hærent & suffocationem, nisi circa ope succurramus, inferunt. Præstat itaque dictis morbis & humorum edulcorationi & viscidorum, per alvum ducentia, evacuationi per tempus adhuc invigilare.

§. XXVI. Deinceps, si unquam uniles ac necessariae primarum sic dictarum viarum evacuationes sunt, certe in puerperis id valet. Nam non modo tempore gravidationis, sed & ipso in puerperio magna colluvies impurorum humorum gignitur, quos nisi cito & clementer subtrahas, mala, non sine periculo, inde nascuntur. Pessimus itaque

& detestabilis nostris temporibus opiorio invaluit, puerperas, præsertim primis septimanis, plane non esse purgandas, sed ab omni evacuatione abstinendum. Verum magna damna hinc subinde experintur, nam exanthema illud, quod purpura vocatur & in nostris regionibus puerperis familiarissimum est, vix ullalii causæ, quam neglegitæ primarum viarum evacuationi, adscribi debet. Nam jimpuri ex venis adfluentes ad intestina humores biliosi & lymphatici, diuturna in ora, putrescunt, qui, rufus delati ad sanguinis massam, exanthemata purpuracea hæc vel erysipela-cea efformant. Ad quæ præcavenda nihil consultius est, quam altero vel tertio à puerperio die, posteaquam omnia rufus quieta facta fuerint, balsamicas pillulas singulis tribus diebus exhibere, quia methodo non modo à purpura, sed & ab aliis gravioribus accidentibus puerperas immunes persisteré, indubitate & creberrima experientia confirmati sumus.

on obnsup. anniv. lev : flo subnacibij
-10 §. XXVII. Ejusdem exanthematis purpuracei malum, in nostris hic districtibus, compluribus acutis morbis, ut variolis & morbillis, febribus continua, etiam malignis, in declinatione, non sine summo vitæ discriminé, sepius supervenire solet. Rationem vero nullam aliam invenio, quam quod pessimæ opinio apud nonnullos medicos usque eō regnavit, alvi ductionem dictis in morbis periculi esse plenissimam, unde per quinque vel sex dies & ultra ægrantes sine hac relinquunt, quod non potest non pessime cedere. Nam perpetuus cum sit succorum in morbo è corpore ad intestina affluxus, non potest aliter fieri, quin, si non excludantur, mora & æstu plane alienam & malignam naturam induant. Hinc aliorum morborum somitem

tem præbent, eoque magis, ubi sudorifera calida adhibentur, quæ ex agitatione putredinem humorum austam in intima corporis penetralia insinuant, quare optimum consilium est, alvum nunquam diu ad strictam retinere, sed enematibus vel blandis vacuantibus eam liberam servare. Quare salubre monitum est Riverii in praxi Med. Lib. XVII. Cap. I. de variolis: enemata, non solum in morbi principio, sed etiam toto morbi decursu, usurpanda esse, si alvus sponte non fluat idque singulis vel alternis diebus; quod præclarum præceptum in omni febrium curatione servandum est.

§. XXIX. Tandem de recidiviis morborum, præfertim febrium, unde suam trahant originem, quedam promenda sunt. Fiunt vero hæ ipsæ, ubi materia morbi nondum penitus e corpore exclusa fuerit, sed adhuc intus latitat, id quod ex imperfecta crisi & symptomatibus remanentibus judicandum est: vel fiunt, quando nova ad morbum producendum generatur materia, quod fit, si ob malam & perversam diætam & evacuationes, per omnis generis evacuationes, neglectas, in debilitate & languido corpore facile multæ & impuræ cruditates novum fomentum morbo præcedenti ingenerantur, qui eo facilius paroxysmos, præfertim in febribus, repetunt, quo plus ad commotiones istas spasticas nervorum ac fibrarum genus adhuc est dispositum. Nostrum igitur est consilium, si præcavere febrium recidivas velimus, ut ventriculi convenienti diæta habeamus rationem & infusis roborantibus ac dia-phoreticis transpiratum juvemus, nec benigna & ballamica evacuantia negligamus.

Ud 2719

ULB Halle
003 712 451

3



nur A-Stac TA TOL
bisher aufgenommen

KG.



Q. D. B. V.

DE

MORBIS EX ALIIS PRODEUNTIBUS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO CAROLO,
BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, RELIQUA,

P R A E S I D E
FRIDERICO HOFFMANNO,
COLLEGII MEDICI h.t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU,

publice disputabit,
JOANN. WILHELM. STUTE,
Susatenfis - Guestphalus.

Ad diem Maij, MDCCXVI.

H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.